

eam ipsam fieri et perfici per depositum. Ideoque dici quidem posset huiusmodi sequestratio sub lege depositi iniri et perfici, i. e. contractus depositi formam induere, sed depositum, cui lex sequestrationis adiecta sit, nescio sane, an cogitari possit? Porro nec hoc conuenit naturae pacti adiecti, ut illud det nomen actioni, quae inde instituitur. Agi quidem potest omnino ad id praestandum, de quo pactioibus adiectis conuenit inter contrahentes, sed simpliciter ad id ex contractu agitur. Ita nemo unquam dixit ex pignore, cui est pactum antichresticum adiectum, dari actionem pigneratitiam antichresticam. Sed in sequestro hoc fit. Vult enim POMPONIUS^{e)}, cum sequestre agi actione depositi sequestraria, si scilicet sequestratio facta sit per contractum depositi, et actionis sequestrariae simpliciter, et sine adiectione, mentionem fecit VLPIANVS^{f)}. Est ergo, ut hanc observationem huic loco iungam, quod puto fieri commode posse, actio sequestraria ex genere earum actionum, quas adiectitiae qualitatis in scholis nominare solemus, quia non peculiaris actio est, quae solo suo nomine constet, sed denotat tantum qualitatem aliquam, quae negotio adcedit, ut ex ea intelligatur magis, qua ratione actio, quam principalem doctores vocant, instituat. Perinde ergo ut condictio certi^{g)}, vel incerti^{h)}, ut actio confessoriaⁱ⁾, puta eam, quae et interrogatoria, quia ab

interro-

e) c. si in Asia 12. §. cum sequestre 2. h) c. qui sine causa 3. D. de condict. sine causa.

f) c. si quis adfirmavit 9. §. Labeo 3. i) c. inde Neratius 23. §. ult. c. proinde 25. §. si procurator 1. D. ad Legem Aquiliam.

g) c. certi condictio 9. pr. D. de rebus creditis.